



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LIV. D. Nvmerianvs. XXVIII. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

marito viduatam præfecit. Parthenonem denique tertium in ripa Mosellæ extruxit, D. Symphoriano Martyri sacrum, cui Severam sororem suam dedit Magistram, Regulâ D. Benedicti omnibus præscriptâ. In horum postremo Modoaldus post vitam sanctissimè exactam sepultus, inde verò in Saxoniam religionis ergo translatus est. Ornavit suâ præsentia Ecclesiam Trevirensis an. 30. mortuus an. 656.

LIV. D. NUMERIANVS. XXVIII. ARCH.

D. Numerianus curâ Archiepiscopali Treviris suscepta inclaruit. Quamvis itaque vitæ sanctioris præclaram memoriam ferat etiam hodie, scriptorum tamen vel negligentia, vel interitu præter monumenti epigraphen, qua anno 670. die Julii 5. morti succubuisse dicitur, de eodem nihil posteris relictum est.

LV. D. BASINVS. XXIX. ARCH.

D. Basinus illustri sanguine & virtutibus celebris, ex D. Maximini cœnobio Abbas evocatus, Metropolitanam Trevirorum adiit. Religionis propagandæ curam in se suscepit singularem; quare D. Willibrordum ex majori Britannia cum duodecim sociis egressum, perquam benevolè excepit, & beneficiis sibi devincire studuit, ut Germanis in Germania, unde Anglorum majores venerant, salutem etiam communicaret, promulganda Evangelii lege & luce. Ad annum 697. usque vitam produxit Basinus, ob summam vitæ integritatem & Sanctimoniam laudem Divi nomine ac honore insignitus. Corpus eiusdem pignoris sacri loco in D. Maximini Basilica fuit repositum, ut quem locum inter vivos signatum impressumque Sanctitatis suæ vestigiis reliquerat, illum ne mortuus quidem desereret. Sed. an. 27.